



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio I. De Censibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

T I T U L U S XXXIX.  
DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, & PROCU-  
RATORIBUS.

S E C T I O I.

De Censibus.

§. I.

*An ex prestatione annua census facta Episcopo ab aliqua Ecclesia, vel monasterio, rectè colligatur, & probetur ejusdem subiectio, & quomodo census p[er] sui & probari debeat?*

**V**ariæ quidem veniunt pensiones ex obligatione solvendæ, census nomine, de quibus multa videre licet apud Civilistas; hæc autem census nomine aliud non intelligitur, quàm onus reale Ecclesia impositum, aut pensio annua ex proventibus Ecclesiasticis, ab Ecclesiis, aut aliis piis locis, Superioribus, & Prælatibus Ecclesiasticis, in singulos annos, solvenda. De hac ergo pensione, seu solutione quaeritur, utrum ex illius præstatione Episcopo faciendæ, rectè colligatur Ecclesie solventis subiectio; & respondetur negativè, cum solutio talis ex variis causis fieri possit, nisi vel ex ipsis expressis verbis in solutione appositis, vel ex circumstantiis variis, solutionem hanc fieri in signum subjectionis, colligi possit. Certè census talis subinde solvi potest ob privilegium ab illo concessum, cui solvitur;

In recognitionem gratiæ alicujus, emptionis v. g. libertatis, &c. à Superioribus obtentæ; in signum fundationis sibi aut juris patronatus, penes alterum existentis; ex conventionibus certis, &c. ex census solutione præcisè non probetur subiectio: & hinc, qui penes certum, tanquam sibi debitum solvi, expresse debet rationem, sive causam, ob quam census sibi debeatur c. *Proventus*, 7. h. 2. nisi ab immemoriali tempore census talis solutus esset, cum immemorialis temporis tituli præsumptionem inducat. Si aliquo protestatione contra omne debitum solutio talis facta fuit; quamvis enim ex solo decursu temporis non oritur obligatio, aut debitum, ejusve possessio, videtur tamen præsumptio præcedentis solutæ, sive tituli, ex quo obligatio, seu debitum, ejusve possessio, aut quali possessio originem traxit.

§. II.

*Utrum monasteriis, vel aliis Ecclesiis, novus census imponi possit; & etiam à patronis, Ecclesiis, vel monasteriis patronatus?*

**A**B Episcopis non possunt novi census reales, & perpetui, sine iusta causa imponi monasteriis, vel aliis Ecclesiis, neque veteres augeri c. *Severitas*, 3. h. 2. *Prohibemus*, 7. h. 2. tum quòd ad leges



Dioecesanam spectet oneris talis impositio, à qua monasteria omnia sunt exempta, tum quòd in talibus casibus fiat quasi alienatio aliquis juris Ecclesiastici, & servitutis cujusdam in rebus Ecclesie constitutio, quæ sine solemnitatibus certis prohibita est Episcopis. Neque conceditur Episcopis, quòd possint Ecclesiis, quas de manu fortasse, seu potestate Laicorum liberaverunt, novum censum imponere, prout decernitur etiam in *Eccl. 9. h. 1.* præstitit enim in tali casu Episcopus, liberando Ecclesiam de manu Laici, ad quod ex officio tenebatur, & consequenter in compensationem quasi beneficii, nullum novum censum imponere potest. Quin etiam *ex c. Cum Clerici 12. h. 1. pater*, quòd Clerici, qui coludendo v. g. cum religiosis suas Ecclesias censuales constituerunt, quales non fuerunt ex sua fundatione, aut legitima auctoritate, à suis Ecclesiis sint amovendi, & *ex c. Significavit 13. h. 1. pater*, quòd cogi possit & compelli debeat, ad remittendum iuramentum, cui sub juramento novi censûs solutio ex bonis Ecclesie promissa fuit: & denique *ex c. gravis 15. h. 1. pater*, quòd neque patroni, sive Laici, sive Clerici hi sint, post fundationem novum censum Ecclesiis suis patronatus imponere, aut veterem augere possint, ne gravandi Ecclesiam pro placito ansa detur, & occasio.

## §. III.

In qua moneta solvendi sint census seu pensiones, & alia debita pecunialia?

Multa jam olim in Germania tributa fatigavit, hæc intricata, &

difficilis quæstio, ob mutationem variaz monetæ, quoad valorem intrinsecum, sive bonitatem monetæ; vel quoad valorem extrinsecum, sive æstimationem monetæ à lege publica, vel alterius magistratûs, jus cudendi monetam habentis, taxatam, quia tamen longius examen hæc quæstio requirit, & hodie rarè usûs est, cum per privatas conventiones litigiosæ huic sæpius mutationi satis caveatur, ideo ad *Auth. Method. & ad Layman in sua Theologia morali l. 3. tit. 3. p. 1. cap. 5. n. 19. uti & ad c. Olim 20. h. 1. & ad c. Cum Canonicis 26. eodem*, remittitur, qui plura de hac quæstione scire petir.

## §. IV.

Quomodo solvenda sint ea, quæ ex voto debentur?

Neque hæc quæstio multi examinis apud Canonistas est, cum illius decisio ex Theologia Morali petenda potius sit. Videatur *c. Ex parte 18. h. 1.* juxta quod, si certa mensura v. g. determinata non sit, ad quam solvendam se quis sub voto obligavit, communis tamen usus regionis, & generalis consuetudo habeat, aut aliz circumstantiz exigant, ut solutio talium votorum fiat juxta certam mensuram, aut juxta certam speciem, juxta hanc solutio facienda est.

